



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lv dovici || De Ponte Vallis-|| Oletani, È Societate ||
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In
Qvo-|| libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

In Qvo Agitur Nominatim De Sacerdotibus, Confessarijs, Magistris siue
Doctoribus, Concionatoribus, Episcopis & alijs Prælatiſ, eorumque
Ministerijs - In septem Tractatus distributus ...

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1629

§. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45750)

§. I.

Resignatio.

ACCEDENTES igitur ad sex prædictos actus, RESIGNATIO, que est veluti dux in hac occasione, valde potest variari & exerceri actibus obedientiæ, & oblationis, desiderijs ac petitionibus, actibus patientiæ, & actionis gratiarum: assumptis sex istorum actuum, modo his, modo illis: & Confessarius eos potest proferre nomine infirmi, & is illum sequatur, aut tacitus intra se proferat, si lingua non potest. Hinc in modum. *Primum.* quia Resignatio resignat, subijci tunc propriam voluntatem Diuinæ, cui se cupit conformare: ideo dicit Domino nobiscum humili obedientia & subiectione: *a Domine, non mea voluntas, sed tua fiat.* si tibi placet, ut ego iam maior: id ipsum ego volo, & mihi placet tuum enim velle, est meum: nec meum vnquam à tuo dissentiet. Sciam accedit oblatio eius quod ipse est, & habet corpus meum, Domine, anima & vita mea, tua sunt: ea tibi libens offero, quia tu petis: & quatenus opteteres, sponte illa offerrem, ut tibi placerem: *b in manus tuas committam spiritum meum: custodi illum Domine tanquam rem tuam: Paratum cor meum, Deus paratum cor meum ad omnia, quæ tibi placent, ut ego sciam, aut patiar.* Pulsas Domine ostium meum, ut tibi aperiatur: en paratum cor meum, paratus sum transire ad alteram vitam, ad quam me vocas. Idem autem potest re ipsa fieri per desideria & petitiones. O si voluntatem haberem ita Dei mei voluntati conformem, sicut Angeli habent in cælo: O quis mihi daret vnum & idem velle ac nolle, cum Diuino O Saluator mi per illam celsissimam resignationem, quam imminente tibi morte habuisti: alteram similem mihi concede. Pater æterne tibi offero Filij tui Redemptoris mei resignationem pro ea, quæ mihi deest: & exopto suppleo imperfectionem Resignationis meæ. Nominatim autem repeti possunt orationes, quas hic Dominus in horto fudit, dicens: *d Pater si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. e Abba Pater, omnia tibi possible sunt. Si vis transfer calicem hunc à me, peto: tamen non quod ego volo, sed quod tu.* Pater Sancte, amarus est calix mortis ac dolorum quos patior: ideo peto si possibile est, & ita expedit, transeat à me ista amaritudo: sed tamen paratus sum, & libens totum calicem hauriam: quia tu mihi illum porrigis, & iubes bibere: Da mihi patientiam, ut sustineam & tolerem, opto enim illum bibere: Auget patientiam, & auge doloem. *f Proba me & tenta me: pro venes meos, & cor meum: Quoniam misericordia tua ante oculos meos est. Et complacuit in veritate tua.* Benèpotes, Domine, vrere me, & probare me: scio enim, te esse misericordem: nec tuum auxilium mihi defuturum.

a Luc. 22. 42

b Luc. 23. 46.

c Psal. 56. 8.

d Matt. 26. 39. 2 Marci. 14. 16.

e Psal. 25. 2

f Actio gratiarum.

HINC fit transitus ad gratiarum actionem propter mortem & mor-

le

lestias: quod est supremum *Resignationis*, reputādo esse Dei beneficium ac dicēdo: gratias tibi ago Domine ob annos vitæ & sanitatis mihi concessos; & ob dolores ac pœnas, quas nunc sustineo: æquè enim ab amore tuo procedit vtrumque. *f. Benedicite frigus & æstus Domino: laudate & superexaltate eum in secula.* Benedicite fitis & fastidium domino, laudate & superexaltate eum in secula. Benedicant tibi Domine vita & mors, laudent & glorificēt in secula. Benedictus sis Deus meus ob afflictiones, quas patior. Laudent te Angeli ob hōs cruciatus, in quibus versor. Gaudeo, quod videam me in cruce pœnarum mori, vt sic aliquo modo imiter crucem tuarum, vt Deo viuam. *g. Christo confixus sum cruci, h. Absit à me gloriari nisi in cruce D. N. Iesu Christi.* Gaudeo, me cum Christo, eius cruci esse confixum, vt per eam ipsi viuam. His sentētis resistendum est tentationibus, quas suggererit Dæmon contra *Resignationem* & patientiam. Quod si certamen erit fortius, adhibēdum est magis in particulari remedium, adductis rationibus in initio positus

CONTRITIO etiam est varijs vijs varijsq; affectibus septem rationum, quæ in capite decimo posita fuerunt, exercenda, vt dolor excitetur peccatorū: nunc ipsummet dolore exercendo, nūc illū optādo, & à Deo D. N. petendo, allegatis varijs titulis, ad eū obtinendū: offerendo etiā aliquid pro peccatis præteritis; aut firma aliqua proposita concipiēdo magni seruitij ipsius: studendo tamen, vt amoris mortua præualeant semper; eò, quod ex se sint efficaciora quàm timoris. aliquando igitur edēta cū contritionis, hunc in modum: *pœniter me. Deus meus, quod te offenderim: eò quod tu sis tali, & quod te multū diligam: vellem potius milles mortem obinisse, quàm te offendisse.* O benefactor infinite, doleo, me fuisse tuis beneficijs ingratum multitudine meorum peccatorū. Supra quam dolere possum doleo, quod offenderim tuam bonitatem, tuam misericordiam, tuam charitatem, tuam liberalitatem, & maiestatem infinitam, idq; in conspectu tuo! *i. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Auerte faciem tuam à peccatis meis & omnes iniquitates meas dele.* Aliquādo etiam quasi filius prodigus dicet Deo, *k. Pater peccare in cælum, & cor ante: non sum dignus vocari filius tuus. fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis.* Cōfiteor Pater me fuisse prodigum in vita mea, proijciendo ipsam artem, sanitatem, facultates, & talēta quæ mihi dedisti: confidens tamen de tua misericordia. ecce redeo in domum tuam: parce erroribus meis, meq; te in eā admitte. Aliquādo dicere poterit cum Publicano: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Aut cum Rege Manasse *m. Peccavi super numerū arenæ maris, multiplicata sunt iniquitates meæ. & nō sum dignus aspicere altitudinē cæli pro multitudine iniquitatum mearū.* Quomodo ergo in illud intrabo. cū ipsemet

f. Dan. 3. 67

g. Galat. 2.
19.
h. Galat. 6.
14.2
Contritio.i. Psal. 50. 6.
k. Lucas. 8.Luc. 8. 13
n. oratio
no. 3108

n Luca 23.
42.

o Psal. 6.3.

p Psal. 31.6.

q Psal. 37.1.

r Psal. 101.3

s Psal. 129.3

t Psal. 142.2

eius portas meis peccatis mihi occluserim: pœnitet me eorum, & cum Redemptor meus morte sua illas iterum reseverit, aperi mihi illas Domine ex tua misericordia. O dulcissime Redemptor, sicut bonus ille laicus deo: n *memento mei Domine*, postquam es iam *in regno suo* propter illam iustitiam ac dolorem, quo fuisti affectus in horto Gethsemani, propter nostra delicta, oro supplex, magnum ut mihi largiaris eorum sensum ac dolorem. Eodem modo petenda est hæc *contritio* à Sanctis, qui vehementem illam habuerunt: quales fuerunt S. Petrus, Magdalena, & similes. Etiam iuuerit curare (quod fecit S. Augustinus tempore suæ mortis) legi sibi septem Psalmos Pœnitentiales; quos dum ille audiebat, ruminabat, & lachrymis dissoluebatur. Ex eis autem accipi possunt aliquot verus valde pij, qui impellunt ad dolorem, aut veniam petunt, & cordis modiciem. Ex primo Psalmo: o *Miserere mei Domine quoniam infirmus sum. Salua me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Convertere Domine, & erue animam meam. Saluum me fac propter misericordiam tuam. Quoniam non est morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi?* Ex secundo Psalmo: p *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam: & tu remisisti impietatem peccati mei: tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me; exalta me, erue me à circumdantibus me.* Ex tertio: q *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Quartus hoc est Miserere mei Deus, totus pijssimis versibus plenus, qui in modum iaculatoriarum orationum accipi possunt ad Deum. Ex quinto: r *Velociter exaudi me, quia defecerunt super me dies mei, & ossa mea sicut cremum aruerunt.* Ex sexto: s *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine, quis sustinebit? Ex septimo: t *Non intres in iudicium seruo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus. Non auertas faciem à me, & similis ero descendentibus in lacum.***

§ II.

FIDES in his periculis varijs modis est exercenda. Primo eam præcedendo, dicendo ipsum Symbolum, aut Fidei articulos, siue ipse infirmus paulatim proferat, siue Confessarius præeat, siue in modum interrogationis, respondente infirmo se ita credere; aut per modum orationis, quasi faciens Litanias ex ipsis articulis, dicēs: Trinitas Sanctissima, Pater, Filius, & Spiritus S. vnus ac solus verus Deus, miserere mei. Creator, Saluator, & Glorificator meus, miserere mei, sic & de ceteris. Aliquando potest exerceri in modum orationis coram aliquo crucifixo, aut alia

imagine